INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXX

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT **PROF. DR. HUGONIS WEISS** DE ANTIQUISSIMIS PALAESTINAE INCOLIS COMMENTATIO.

BRUNSBERGAE, 1880.

TYPIS HEYNEANIS.

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

D[R.] JOS. BENDER,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

De antiquissimis Palaestinae incolis.

Permultae gentes origine, religione, moribus inter se dissimillimae inde a primordiis nuncusque in Palaestina habitarunt. Neque difficile est, earum gentium fata perspicere et enarrare, quae post eversionem regni Judaici anno p. Chr. n. septuagesimo per Romanos factam in terra sancta sedes sibi constituerunt. Antequam Turcae imperatore Selimo anno 1517 irruperunt, Aegyptii per duo saecula Palaestinam obsidebant. Saeculis XII et XIII crux Salvatoris, victrix super Sion effulgens, ex tota Europa innumerabiles rei Christianae propugnatores alliciebat, qui regnum quod dicebatur Hierosolymitanum condebant. Quos contra advenas occidentales fortiter fines suos defenderant Arabes et Seldschukki, ab anno 636 Palaestinam tyrannica crudelitate vexantes. Antea autem Persae, Graeci, Romani temporibus facile adhuc cognoscendis copias et cives suos in terram istam singularem miserant atque pro viribus suam potestatem propagaverant[1]).

Quaestio multo obscurior haec est, quaenam fuerint nationes, gentes, stirpes Palaestinae, priusquam Israelitae Josua duce in domicilia sua a Deo ipsis promissa (Gen. 15, 16 sqq.) immigrarent. Minime enim quaestioni satisfaciunt qui Cananaeos ab Hebraeis devincendos atque exstirpandos (Dt. 7, 1 sq.) antiquissimos appellant regionum illarum incolas[2]). Saepius in sacra Scriptura una cum Cananaeis Qenitae, Qadmonitae, Rephaitae, Pherisitae, aliae gentes enumerantur (Gen. 15, 19—21; Dt. 7, 1), quarum in catalogo illo celeberrimo Gen. 10, 1 sqq. nulla fit mentio. Unde apparet permagnam quondam mixtionem et perturbationem multarum gentium Palaestinensium factam esse et ceteras gentes, quod ad antiquitatem pertinet, Cananaeis fortasse longe antecessisse. — Omnes autem populi (seu civitates) comparandi sunt arboribus, quae partem haud exiguam proprietatum suarum radicibus suis ex terra ipsis subjecta et propinqua assumunt. Quapropter si quis populi seu

---

1) Raumer, Palaestina ed. 4. p. 398 sqq.

2) Movers, Zeitschrift für Philos. und kath. Theol. V, 2; Kurtz, Zeitschrift für d. gesammte luth. Theol. u. Kirche 1845, fasc. III.

civitatis cujusdam peculiarem indolem et naturam satis perspicere velit, conditionem omnium populorum et civitatum, in quibus populus ille radicatur, accurate perscrutetur necesse est. Ergo Israeliticarum quoque rerum scriptoris est, Qenitarum, Rephaitarum, aliarum gentium originem, affinitatem, similia diligenter examinare ad proprietates populi Israelitici penitus percipiendas atque intelligendas. Qua in scrutatione gravissima instituenda nos non omnem operam perdituros esse ea de causa speramus, quod Palaestina est ora finibus fere inviis a civitatibus finitimis separata: neque mare mediterraneum neque arduus Libanus mons neque desertum Syriacum seu Arabicum turbis fugientibus transitum praebent commodum atque expeditum. Ideoque vix potuit evenire, ut gentes Palaestinenses, quamvis ab hostibus irruentibus devictae opprimerentur, omnino loco suo expellerentur nullaque vestigia in solo patriae suae relinquerent[3]). Quae vestigia secuti hanc reperimus primordiorum rerum Palaestinensium imaginem.

I. Gentes Semiticae.

Inscriptiones Assyriae a viris doctissimis nuper explicatae certiores nos faciunt de acerrimis bellis ante tempora Abrahami gestis inter Elamitas et Assyrios[4]), quibus tempestatibus et procellis rerum publicarum gentes finitimae et propinquae paullatim correptae tum devictae et occidentem versus propulsatae esse videntur. Assyrii enim cum Palaestinensibus vinculo quodam aliquando cohaesisse feruntur. Et primum quidem unus ex regibus Assyriis, cujus nomen a *Kudur* incipit, cognominatur „dominus“ seu „possessor *mat Acharri*“ i. e. terrae occidentalis seu Palaestinae[5]), unde colligere licet, nonnullas turbas gentium orientalium ex Asia interiori expulsas sub ditione victorum suorum in novis quoque sedibus suis Palaestinensibus permansisse. Quod confirmatur pervetusta Genesis (14, 1 sqq.) narratione de bello a Kedorlaomero, Elamitarum rege, regi Sodomae ejusque sociis illato, qui principes jugum a Kedorlaomero ipsis impositum icto foedere excutere conati erant (l. c. v. 4)[6]). — Magni praeterea momenti est, quod complures urbes perantiquae litoris a Philisthinis postea occupati deos diis Assyrio-Semiticis simillimos coluerunt. Quorum deorum praestantissimus erat Dagon (*Δαγών*)[7]) quem summi civitatis Philisthinorum principes magnificis sacrificiis luxuriosisque conviviis venerari solebant (Jud. 16, 23 sqq.)[8]). Cui non solum Gazae et Asdodi (I Sam. 5, 3 sqq.), sed in plurimis regionis illius urbibus templa exstructa erant[9]); immo in finibus Judae et Asseri tribuum Hebraicarum duo inveniuntur oppida, propter cultum ibidem olim florentem *Beth-Dagon* nominata (Jos. 15, 41; 19, 17)[10]). Sapit autem hujus dei cultus originem Assyrio-Semiticam. Quod Berosus de Oanne vel Odakone (*Ὠδάκων*), deo marino, Chaldaeos litteras artesque docente tradit[11]), monumenta Assyria a Layardo Anglo Khorsabadi anno 1845 reperta plane comprobant, quippe quae in imagine quadam

---

[3]) Ewald, Geschichte des Volkes Israel I, p. 272 sq.

[4]) Schrader, Die Keilinschriften u. d. Alte Test. p. 47 sqq. Cf. Volk, Ueber die Bedeutung der semitischen Philologie für die alttestam. Exegese, p. 11 sq.

[5]) Schrader, l. c. p. 14 sq.

[6]) Kedorlaomer rex sine dubio illorum regum Elamitarum numero adscribendus est, qui testibus inscriptionibus Assyriis „Kudur“ olim praenominabantur. Qua de re minime dubitandum est hanc ob causam, quod Elamitae Lagamarum venerabantur, cujus dei nomen cum parte posteriore nominis Kedorlaomer, graece transscripti *Χοδολλογομορ*, omnino congruit.

[7]) Stark, Gaza und die philistaeische Küste, p. 248 sq.

[8]) Ind. lectt. Lyc. Hos. 1875/76, p. 11.

[9]) Hieron. Comment. in Js. 46, 1.

[10]) Euseb. Onom. s. v. Bethdagon: „. . . sed et usque hodie grandis vicus Capherdago inter Diaspolim et Jamniam demonstratur.“

[11]) Berosus ap. Euseb. Chron. armen. I, p. 13.

deum Assyrium ex homine et pisce (*dag* = piscis) compositum ostendant, deo a Beroso descripto persimilem [12]). Et ea ipsa erat forma Dagonis dei a veteribus Palaestinensibus adorati [13]). Urania seu *Δερκετώ* [14]), quae dea lateri Dagonis saepius adjungebatur, Ascalone in antiquissimo templo colebatur; neque dubium est, quin Assyrii et habitatores Cypri insulae idem numen veneratione prosecuti sint [15]).

Denique silentio non praetereundum est, quod Asdod urbs a profugis litora sinus Persici antea incolentibus condita fuisse fertur [16]). Cave autem ne profugos istos pro Phoeniciis habeas indidem olim profectis. Cananaei (Phoenices), qui primum, utut infra demonstrabimus, regionem prope Libanum montem petierant, eo temporis vestigio, quo meridionales Palaestinae partes occupabant, jam non „profugi“ nominandi erant. — Itaque ex hoc argumento sicuti ex prioribus cogere possumus, primos Palaestinae incolas seu autochthones quos dicunt a Semitis interioris Asiae originem suam duxisse. Quibus populis Semitico-Palaestinensibus annumerandi sunt:

1. Rephaitae i. e. filii Raphae (II. Sam. 21, 16—22), cujus nomen derivandum est a *raph'a* seu *raph'a* i. e. longum, altum esse (cf. *raba*) [17]). Sine dubio enim et ipse Rapha et tota fere ipsius progenies humanae magnitudinis propemodum excesserunt formam: usque ad Davidis tempora Rephaitarum corpora, arma, arcae [18]) admirationem et terrorem omnium aequalium moverunt (Dt. 2, 10 sq.; 3, 11; I Sam. 17, 4 sqq.), minimeque duodecim illi Israelitarum exploratores (Num. 13, 26 sqq.), nimirum in majus rem extollentes, a veritate omnino deflexerunt, quum gentilibus suis Rephaitarum stupendam magnitudinem ac robur describerent. — Quorum aboriginum formidolosorum stirpes minores erant:

a) Rephaitae propria et principali significatione, qui maximam terrae sanctae partem olim occupaverant. Tota Basan, regio transjordanica in septemtriones spectans, usque ad posteriora tempora (Dt. 3, 13) terra Rephaitarum (Vulg. terra Gigantum) vocabatur, quos contra rebellantes Kedorlaomer, rex Elamitarum, primum impetum fecit (Gen. 14, 5). Neque parva tunc fuit devictorum clades. Reliqui enim Raphaitae quum paulo post [19]) cum Amoritis signa conferrent, tam celeriter ad planam pervenerunt internecionem, ut temporibus Mosis solus Og, Amoritarum rex, ex stirpe illa restaret (Dt. 3, 11). Et antiquioris et recentioris regni caput erat Astaroth-Karnaim, urbs prope Edrei in Aurano planitie sita (Gen. 14, 5; Dt. 1, 4; Jos. 9, 10; 12, 4; 13, 12) [20]). — Praeter Basan Rephaitae mediam terrae cisjordanicae partem aliquando possidebant. Ephraimitis enim et Manassitis tribubus majorem

---

12) Layard, Niniveh und seine Ueberreste, p. 424.

13) Abarbeneb ap. Stark. l. c. p. 249: „Dicunt“, inquit, „Dagoni fuisse formam piscis ab umbilico et superne, sed quod manus et pedes formam humanam.“

14) Herod. Hist. I, 105. Cf. Knobel, Völkertafel, p. 207.

15) Pausan. I, 14, 6.

16) Steph. Byz. s. v. *Ἄζωτος: „ταύτην ἔκτισεν εἷς ἐπανελθόντων ἀπ᾽ ἐρυθρᾶς θαλάσσης φυγάδων.*

17) Praeter nomen illud gentile nomina complurium Rephaitarum v. g. Achiman et Talmai (Num. 13, 22; Jos. 15, 14), Semitis propria (I. Chron. 9, 17; II. Sam. 13, 37), autochthones illos ex Semitica radice exiisse indigitant. Cf. Ewald, l. c. p. 277 sq.; Knobel, l. c. p. 205.

18) Deuteronomii (3, 11) hanc de lecto Ogi regis descriptionem „monstratur lectus ejus ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, novem cubitos habens longitudinis et quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus (Vulg.)“ Lengerke — Kenaan p. 181 — recte mihi ad arcam funebrem, ex basalte exsculptam, referre videtur, quum Plinius, Hist. nat. 36, 7, de duro nigroque marmoris illius genere haec faciat verba: „(est) ferrei coloris atque duritiae, inde et nomen“ (cf. hebr. barsel = ferrum).

19) Ex eo quod Mosis tempore Og Rephaita in regno Amoritico regiam potestatem obtinebat sequitur, Amoritas haud ita multo post Assyrios in Rephaitarum civitatem irruisse. Nonnulla certe saecula praeterire debebant, antequam Amoritas victores decebat ex hostibus suis regem sibi eligere.

20) Onom. s. v. Astaroth: „. . . antiqua civitas Og regis Basan, in qua habitaverunt gigantes (Gen. 14, 5) . . . sex millibus ab Adra (Edrei) urbe Arabiae separata est.“

quam acceperant agrum quaerentibus Josua consilium dedit, ut eam regionem „Rephaiticam“ montuosam sibi expugnarent colerentque, quae inter Jesreelem campum et Jordanem fluvium patesceret (Jos. 17, 15 sqq.)[21]). At illic quoque autochthonum copiae atque opes tum temporis fractae erant, quoniam Israelitae magis finitimos Cananaeos quam ipsos Rephaitas, regionum expugnandarum possessores, metuebant (l. c. 17, 16). — Meridiem versus Rephaitae domicilium suum usque ad montes Judaicos promoverant, intra quos vallis illa lata et opima, quae prope Hierosolyma a septemtrione in austrum sese extendit[22]) *ʿemeq Rephaim* nominabatur (Jos. 15, 8; 18, 16; II Sam. 5, 18 sqq. Jes. 17, 5). Accedit quod Jischbobenob, Saph, alii filii Raphae a fortissimis Davidis viris trucidati (II. Sam. 21, 16 sqq.; I Chron. 20, 4 sqq.) Gathi habitaverant, quae urbs a valle Rephaim non procul videtur abfuisse[23]). Itaque non dubitari potest, quin Rephaitae priusquam Cananaei adventarent potentissima fuerint stirps aboriginum Palaestinensium

b) Samsummitae, ab ipso Mose genti Rephaitarum annumerati Dt. 2, 19 sqq. Qui incolae territorii Jabboqo, Jordane, Arnone fluviis inclusi (l. c. v. 24, 36 sq.) et Susitae, quos Kedorlaomer post Rephaitarum Basanensium devictionem ad meridiem progressus in ditionem suam redegit (Gen. 14, 5), unum populum eumque habitu et statura notabilem (cf. *sam* = arab. *samma* i. e. robustum esse)[24]) effecerunt. Nihilominus bello cruento atque atroci ab Ammonitis adeo vexati sunt, ut nil nisi nomen Samsummitarum temporibus Josuae in terra transjordanica inveniretur (Dt. 2. 21). In eandem fortunam miseram incurrerunt

c) Emitae (Dt. 2, 10 sq.). Quam stirpem Rephaiticam terrae transjordanicae Moses aeque ac Samsummitas appellat gentem magnam, numerosam, robustam; cui descriptioni etymologia vocis ʾEmim (i. e. formidabiles) optime respondet. Moabitae vero, qui approbante atque adjuvante Deo in fines Emiticos ab Arnone fluvio in meridiem vergentes[25]) irruebant, pugnis continuis hostes suos penitus excidisse videntur; nam Israelitis in patriam suam ex Aegypto redeuntibus per Emitas jam nulla mora facta est. — Alia erant fata ejus rei publicae, quam constituerant

d) Anaqitae, omnium familiarum Rephaiticarum fortissima et tenacissima. Nec scio an jam Arbae, auctori generis ob proceritatem staturae seu potius ob longitudinem colli[26]) cognomen Anaq i. e. longicollis inditum sit (Jos. 15, 13) continuoque in posteros ejus transierit[27]).

Arba „maximus Anaqita“ (Jos. 14, 15) in montanis Judaicis septem annis antequam Zoan urbs antiquissima Aegyptiorum aedificata est[28]) Qirjatharba urbem condidit (Num. 13, 22), cujus in agrum Cananaei [„Qirjatharba“ in „Hebron“ postea mutantes (Jos. 14, 13 sqq.; Jud. 1, 10)] nondum

---

[21]) Carmelum finitimosque montes in occasum sitos — cf. Keil, Comment. in Jos. 17, 15 — Josua Josephi filiis non assignavit; quoniam Bethseanitae, prope Jordanem habitantes, eos tantum advenas, qui Gilboam et Hermonem minorem occupabant, non vero incolas Carmeli facile aggredi poterant (l. c. v. 16).

[22]) Joseph. Antiq. VII, 4, 1 et VII, 12, 4. Cf. Robinson Palaestina I, p. 563.

[23]) Hieron. Comment. in Mich. 1: „Geth una est de quinque urbibus Palaestinae, vicina Judaeae confinio.“

[24]) Hupfeld, Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes III, p. 399 vocis *samam* significationem „cogitare, moliri malum“ urgens Samsummitas appellat „fraudulentos“, „malitiosos“. Verisimilius vero est, stirpem illam sicut ceteros Rephaitas nomen suum appellativum ex insigni corporum suorum habitu accepisse.

[25]) Kirjathaim, Emitarum domicilium (Gen. 14, 5), ab omnibus fere geographis — cf. Riess, Bibl. Geograph. p. 56; Delitzsch, Comment. in Gen. 14, 5 — Eusebium sequentibus pro Corajatha urbe a dextera parte Arnonis fluvii sita habetur. Quae opinio repudianda est. Israelitae enim, ex Aegypto ascendentes, antequam Arnonem transgressi sunt (Dt. 2, 24) in Moabitide i. e. in terra Emitarum castra sua posuerunt. Inde sequitur ut Kirjathaim urbis ruinae a doctis nostris peregrinatoribus in sinistra parte Arnonis indagandae sint.

[26]) Gesenius, Thesaurus, p. 1054.

[27]) Secundum nostram interpretationem vox *Anaq* in locis difficilioribus Jos. 15, 13 et 21, 11 est nomen gentile.

[28]) Brugsch-Bey, Geschichte Aegyptens unter den Pharaonen, p. 94 sq. cf. p. 69, inter Taniticas ruinas nomen Pepii regis Aegyptiorum celeberrimi anno tertio millesimo a. Chr. n. regnantis in lapidibus insculptum invenit!

immigraverant.[29]) Aliquanto post Chetitis repentino fortasse impetu facto[30]) contigit, ut priores incolas possessione sua pellerent solique montium illorum habitatores fierent: cavernam duplicem, in qua Sara sepeliretur, Abraham de Ephrone, filio Chethi, legitimo agri Hebronensis possessore emit (Gen. 23, 10 sqq.). Tantum tamen aberat ut Anaqitae ab hostibus suis profligati simili modo quo Samsummitae et Emitae disturbarentur et interirent, ut viribus redintegratis sedes suas recuperarent et posthac commixti cum Cananaeis per totam terram cisjordanicam habitarent. — Istas in familias Anaqitarum validissimas (v. g. in Achimanitas, Sesaitas, Thalmaitas)[31]), Hebronem accolentes[32]), duodecim illi Israelitarum exploratores occurrerunt magnoque terrore ex eo perculsi sunt (Num. 13, 23 sqq.). Nec mirum. Ipse enim Moses populum suum terram sanctam ingressurum his allocutus est verbis (Dt. 9, 1 sq.): Audi Israel: „Tu transgredieris hodie Jordanem, ut possideas nationes maximas et fortiores te, civitates ingentes et ad coelum usque muratas, populum magnum atque sublimem, filios Enacim, quos ipse vidisti et audisti, quibus nullus potest ex adverso resistere.“ Vulg. — Attamen Josua, Israelitarum dux acerrimus, quum in hostibus populi sui devincendis summam dedit operam tum ut autochthones illos infensissimos atque perniciosissimos ex montanis Judaicis et Israeliticis eradicaret omni virium contentione studuit (Jos. 11, 21 sq.). Reliquos[33]) Caleb, dum domicilium suum a Josua ipsi concessum (Jos. 14, 12 sqq.) occupabat, aut interfecit aut occidentem versus terra expulit (Jos. 15, 13 sqq.). In tribus tantum oppidis Philisthinorum (sc. Gathi, Gazae, Asdodi) in posterum nonnullae Anaqitarum familiae vivebant (l. c. 11, 22).

2. Horitae i. e. Troglodytae. Territorium angustum et montuosum a mari Asphaltico usque ad sinum Aelaniticum procurrens plenum est cavernis[34]), in quibus inde ab antiquissimis temporibus „filii Seir“ (cf. Gen. 36, 20: habitatores terrae i. e. autochthones) consederunt, unde etiam cognomen suum mere Semiticum (cf. *chor* = foramen, caverna) assumsisse liquet. Quam gentis originem Semiticam praeterea complura Horitarum nomina in *an* et *on* finientia indicant v. g. Lotan, Zibeon, Disan (l. c. v. 20 sq.), qualia apud Hebraeos et Arabes Semitas persaepe inveniuntur.[35])

Incolae autem regionis istius propter altitudinem et asperitatem montium fines suos ab incursionibus hostium facile tueri poterant[36]): Cananaei ceteros totius Palaestinae pagos ingressi ante portas „Palaestinae salutaris“ i. e. montanorum Horiticorum[37]) agmina constituerunt. Neque premendum est quod Dt. 2, 12. 22 Horitae ab Edomitis expulsi et deleti esse dicuntur; nam Moses septem Horitarum principes enumerat usque ad ipsius tempora in terra Seir imperantes (Gen. 36, 20—30). Ergo verisimile est Edomitas prioribus temporibus parvam tantum partem terrae Horiticae occupasse; neque

---

[29]) Hoffmann, Blicke in die früheste Geschichte des gelobten Landes, p. 40 sq., merito reprobat Hengstenbergii sententiam (Beiträge III, p. 187 sqq.), Hebronem per Cananaeos conditam ab Anaqitis postea Qirjatharba nominatam esse. Cujus in opinionis Hengstenbergii favorem verba simplicia loci Jos. 14, 15 detorqueri nequeunt.

[30]) Maspero, Geschichte der morgenländischen Völker, p. 184.

[31]) Cum Rosenmuellero, Bibl. Geogr. II, 1, p. 250, Riessio, l. c. p. 21, aliis nos respectu habito Jos. 15, 14, Achiman ceterosque „filios Anaq“ Num. 13, 22 enumeratos non singulos Anaqitas sed magnas familias fuisse arbitramur.

[32]) Anaqitae tunc prope Hebronem, non in ipsa urbe habitasse videntur. Oham enim, rex Hebronis, Jos. 10, 3 vocatur Amorita.

[33]) Sunt qui Jos. 11, 21 sq. et Jos. 15, 13 sqq. locos inter se discrepare contendant. Cf. Keil, Comment. in l. c. 15, 13. Nonne autem verisimillimum est multos Anaqitas a Josua rejectos, quum Israelitae in regionibus remotis bella gererent, in patriam suam rediisse atque ideo a Calebo, regionis illius domino, denuo superandos fuisse?

[34]) Robinson, Pal. II, p. 695 sq. Cf. Joseph. De bello judaico IV, 9, 4. Hieron. in Obadjam 5: „Omnis australis regio Idumaeorum in specubus habitatiunculas habet.“

[35]) Knobel, l. c. p. 206.

[36]) Gratz, Schauplatz der h. Schrift, p. 110.

[37]) Raumer, l. c. p. 274.

desunt qui Esau patriarcham Oholibamam neptem Zibeonis ex filiabus Horitarum in matrimonium duxisse existiment.[38]) — Postea Edomitae cum prioribus patriae suae incolis paullatim coaluerunt unumque populum tam fortem effecerunt, ut Israelitae ex Aegypto regressi omnino desperarent, iter suum per illorum terram adhibita vi tentare (Num. 20, 14—21; Jud. 11, 17). Ii autem Horitae, qui Edomitis appropinquantibus auffugerant (Dt. l. c.), in deserto vicino per sequentia saecula instar latronum turbidam et dissolutam degebant vitam, quam Jobi libri auctor decimo saeculo a. Chr. n. copiose adumbravit (Job. 24, 5 sqq.; 30, 1 sqq.)[39]).

3. Amaleqitae. Nuper quidem populum Amaleqiticum in numerum aboriginum referendum esse propterea negatum est, quod Gen. 36, 12 Amaleq nominatur nepos Esaui, patris Edomitarum.[40]) At haec reputa nostra argumenta. Kedorlaomer, Abrahami aequalis, devictis Rephaitis ceterisque gentibus transjordanicis in occasum conversus secundum Gen. 14, 7 Amaleqitarum totam percussit regionem.[41]) Tum gentem jam tunc magnum Asiae tractum incolentem Bileam propheta Num 24, 20 appellat *reschit gojim* (Vulg : principium gentium, LXX : ἀρχὴ ἐθνῶν), quod cognomen respectu habito I Sam. 27, 8 non ad praestantiam sed ad antiquitatem trahendum est. Denique Arabes antiquiorem gentem non noverant, quam Amaleqitas, qui jam primis temporibus dominationem suam in Arabiam et Syriam propagasse dicuntur.[42]) Ergo Amaleq ille, cujus in Gen. 36, 12 mentio fit, non totius gentis Amaleqiticae sed unius tantum familiae auctor fuisse potest, qui matrimonio cum Edomitica quadam inito domicilium suum in montibus Seir collocavit. Priusquam Israelitae in exilium Babylonicum ejicerentur stirps ista Edomitico-Amaleqitica haud numerosa a quingentis Simeonitis plane exstincta est (I Chron. 4, 42 sq.).[43])

Ubinam aborigines Amaleqitici primo consederint, incertum est. Fortasse autem quae de expugnatione Babyloniae, per Arabes olim facta, narrantur[44]) ad expeditionem quandam Amaleqitarum Arabicorum spectant, qui saepius in fines civitatum vicinarum incursiones fecerunt.[45]) Sane donec monumenta Assyria de hac re nihil in lucem prodant sola sacra Scriptura examinata eruisse et tenere satis est, Amaleqitas primum in plaga australi Palaestinae (i. e. *negeb*, Gen. 13, 1; Num. 21, 1) et in deserto Palaestinam inter et Aegyptum sito tabernacula sua posuisse. Cujus territorii media pars erat ager Qadis urbis (Gen. 14, 7)[46]), unde antiquitus multae gentis Amaleqiticae familiae in diversas regiones emigrarunt. — Familiae in septemtriones profectae usque ad fines Ephraimiticos pervenisse videntur, quoniam montes Sichemo urbi propinqui nomen Amaleqitarum perdiu servarunt (Jud. 12, 15)[47]) summisque laudibus a Debora judice ornantur ii Ephraimitae, qui ex „radice Amaleq" i. e. ex pago

---

[38]) Dereser, Comment. in Gen. 36, 2. Nos quidem, quum l. c. *Chivi* in *Chori* corrigere dubitemus, argumento illi magnam vim non tribuimus.

[39]) Welte, Das Buch Job, p. XX.

[40]) Hengstenberg, Authentie des Pentateuch II, p. 302 sqq. Cf. Joseph. Antiq. II, 1, 2.

[41]) Quis quod Keil, Comment. in Gen. 14, 7, in medium fert approbet, regionem prope *Qades* de Amaleqitis postea illic habitantibus l. c. nomen gerere! Quare autem, si Amaleqitae nondum eo pervenerant, Genesis scriptor de omnibus belli illius casibus certior factus non eam gentem nominat, quae Amaleqitarum regionem tum temporis incolebat?

[42]) Ewald, l. c. p. 299 sq.

[43]) Noeldeke, Ueber die Amaleqiter und einige andere Nachbarvölker der Israeliten, p. 17.

[44]) Fischer, Heidenthum und Offenbarung, p. 180.

[45]) Knobel, l. c. p. 199.

[46]) Rowland — Williams, Jerusalem p. 488 sq. — Qadis urbis ruinas prope puteum Hagaris et „puteum juramenti" (i. e. Berseba, Gen. 21. 19 sqq.) reperit, quae observatio cum nostra sententia de dispersione familiarum Amaleqiticarum optime concordat.

[47]) Robinson, Neuere bibl. Forschungen in Palaestina, p. 175.

Ephraimitico, ab Amaleqitis antea obsesso exierant (Jud. 5, 14)[48]. Familiae ex agro Qadis urbis in meridiem profectae tempore Mosis in paeninsula Sinaitica copias suas adeo auxerant, ut cum Israelitis in valle Raphidim prope montem Sinai[49] diu atque acriter pugnare possent (Dt. 17, 8 sqq.)[50].

Quas res ab Amaleqitis fortiter gestas si quis accurate perpenderit non mirabitur, quod Israelitae, quippe qui omnibus impedimentis deserti Arabici feliciter remotis pristinam Amaleqitarum patriam fecundissimam arriperent, acerbissimum istius gentis odium in se converterunt. Nonne in oppugnando contemnendos „profugos Aegyptios" priores Palaestinae possessores suum simul dominium reposcere videbantur? Quapropter posthac et soli (I. Sam. 14, 48) et conjuncti cum Moabitis (Jud. 3, 12 sq.), Midjanitis (l. c. 6, 1 sqq.), aliis hostibus[51] Amaleqitae populo a Deo selecto identidem bellum inferebant, usque dum a Saulo et Davide devincerentur (I. Sam. 15, 1 sqq.; 27, 8; 30, 1 sqq.).

Amaleqitarum sortem describentibus nobis hoc loco respicienda est fortuna

a) Qenitarum. Quorum originem perobscuram ut recte cognoscamus imprimis intueamur oportet Gen. 15, 19 et I. Sam. 15, 6. Loco priori Qenitae inter eas gentes nominantur, quarum terram (i. e. Palaestinam) posteri Abrahami occupaturi erant; I Sam. 15, 6 Saulus Qenitas admonet his verbis: „Abite, recedite atque descendite ab Amaleq, ne forte involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel quum ascenderent de Aegypto." Vulg. — Ex nostra igitur sententia aliquot familiae Amaleqiticae Palaestinam olim ingressae simili modo, quo aliae cum Edomitis coaluerunt (Gen. 36, 12), autochthonum Palaestinensium intima familiaritate usae sunt aliudque nomen exinde sumpserunt[52]. Postea una cum ceteris Amaleqitis ex media Palaestina meridiem versus expulsi Qenitae in fines Midjanitarum se contulerunt, ubi arctissimo amicitiae vinculo cum Israelitis conjuncti sunt (Jud. 1, 16; 4, 1). Immo multae familiae Qeniticae Israelitas secutae[53] Palaestina recuperata regionem meridionalem quae dicitur *negeb* sedem sibi delegerunt (I. Sam. 27, 10; 30, 29;. Jud. 1, 16), quum reliquorum consanguineorum alii inter Amaleqitas remanerent (I Sam. 15, 6), alii stirpi Edomitico: Amaleqiticae sese adjungerent.[54] Edomitarum socii in montibus Seir tanquam aves in saxis deruptis habitacula sua habentes a Bileamo propheta tempore Mosis vaticinium acceperunt[55] fore ut ab Assyriis in servitutem abducerentur (Num. 24, 21 sq.), id quod Palaestina a Nebukadnezaro rege Assyriae et Babyloniae subjecta et vastata revera evenit (II. Reg. 25, 1 sqq.). Amaleqitarum autem amici Qenitici tempore Sauli in partes Israelitarum transgressi cum gentilibus suis, qui jam diu fines australes Palaestinae possidebant, se consociasse videntur (I. Sam. 15, 6). — Qenitis vicinitate et affinitate propinqui erant

b) Qenisitae, qui et in catalogo pristinorum dominorum terrae sanctae Qenitis proximi dinumerantur (Gen. 15, 19) ét cum Edomitico-Amaleqitis in montibus Seir habitasse dicuntur (Gen. 36,

---

48) Stephanus Byz. Amaleqitas nominat ἔθνος Ἑβραϊκόν, quae falsa opinio oriri non potuisset, si non memoriae traditum fuisset, Amaleqitas ipsam terram sanctam quondam incoluisse.

49) Ebers, Durch Gosen zum Sinai, p. 210 sqq.

50) Ex eo quod LXX in II Sam. 10, 6. 8 pro *Ma'acha* posuerunt Ἀμαλήκ vix conjicere licet Amaleqitas Palaestinae in septemtriones spectanti confines fuisse. Cf. I Chron. 19, 6 sq., quo in loco II Sam. 10, 6. 8 respondente ipsi LXX recte *Μααχά* scripserunt.

51) Josepho teste — Antiq. IX, 9, 1 — Amaleqitae tempore Amassiae regis una cum Edomitis Israelitas aggressi sunt.

52) Jam Relandus, Palaestina ex monumentis veteribus illustrata p. 80 sq., Qenitarum cum Amaleqitis consanguinitatem recte conjectavit.

53) Quid Chobab, a Mose rogatus ut Israelitas comitetur, responderit etsi Num. 10, 29 sqq. non legatur, aliis tamen ex locis s. Scripturae v. g. ex I Sam. 27, 10; 30, 29 commode perspici potest.

54) Noeldeke, l. c. p. 21.

55) Caveas ne cum Keilio, Comment. in Num. 24, 21 sqq., vaticinationem Bileami ad Qenitas cum Israelitis sociatos referas. Omnes enim populi, quos Bileamus l. c. alloquitur, (Moabitae, Edomitae, alii) saevissimi erant hostes populi Israelitici.

11. 15. 42). Itaque fere pro certo habemus Qenisitas, gravioribus turbis atque motibus inter aborigines Palaestinenses obortis, cum ceteris Amaleqitis meridiem versus in priorem patriam suam sc. in desertum Arabicum reversos esse. Qua in fuga haud prospere facta accidisse arbitramur ut alii in montana Edomitica abigerentur, alii cum Israelitis Palaestinae appropinquantibus societatem inirent. Advenas quum Juda tribus benevole amplexa est tum Calebi celeberrimi familia tam familiariter excepit, ut Qenisitarum nomen nonnullis Calebitis v. g. ipsi Calebo, Othonielo ejus fratri, aliis imponeretur (Num. 32, 12; Jos. 14, 6. 13; 15, 17; Jud. 1, 13; 3, 9; I. Chron. 4, 15).[56]) Quae fuerit conditio Qenisitarum post expugnationem Palaestinae imprimisque num juxta agros Calebitarum aeque ac Qenitae dominium quoddam acceperint, memoriae non est traditum. — Perpauca tantum annotanda sunt de

c) Qadmonitarum, Geschuritarum, Girsitarum origine et sorte. Qadmonitas i. e. Orientales in sacra Scriptura nusquam nisi Gen. 15, 19 nominatos iis certo gentibus annumerare possumus, quae antiquitus regionem inter Palaestinam et Euphratem fluvium extensam pervagabantur. Ubi quum gente Amaleqitica gens antiquior vix exstiterit, et Jud. 6, 3 praeter Midjanitas[57]) Amaleqitae cum „filiis Orientis“ (*bene qedem*) in Palaestinam saepius irruptiones fecisse ferantur, nos quidem de cognatione „Orientalium“ (Qadmonitarum) cum gente Amaleqitica jam non dubitamus.[58]) Geschuritas et Girsitas David eodem tempore, quo Amaleqitas profligavit, identidem bello persecutus est (I. Sam. 27, 8), qua de causa istas quoque gentes non solum vicinitate sed etiam consanguinitate inter se conjunctas fuisse verisimile est. Ambarum stirpium Amaleqiticarum patria in regione illa vasta investiganda est, quae a finibus australibus Judaeae et Philisthaeae usque ad Aegyptum porrigitur (l. c. v. 8 et 10), neque omittendum est Gerram urbem Pelusio proximam nomen Girsitarum in memoriam revocare.[59])

4. Avvitae. Regno Israelitico expugnato Assyrii ad terram vacuefactam frequentandam colonos collegerunt in Avva seu Ivva, Chamat, Arpad, aliis territoriis prope Babel urbem in media Asia sitis (II. Reg. 17, 24, 31).[60]) Quibus ex pagis Semiticis Avvitae (cf. *Avva* seu *Ivva*) olim emigrasse et oram maritimam a Carmelo monte meridiem versus patentem occupasse videntur. Jam enim aliquanto ante quam Cananaei terram cisjordanicam compleverunt[61]) Caphtoraei (i. e. Aegypti septemtrionalis possessores Chamitici) incolas illos Semiticos aggressi eorumque tractu potiti sunt (Dt. 2, 23).[62]) Quo facto devictorum pars altera ad montana Palaestinensia propulsata in pago Benjaminitis postea assignato *Avvim* urbem aedificavit (Jos. 18, 23), quum ceteri extra fines australes Philisthaeae egressi in planitie prope Gazam tabernacula sua mobilia collocarent (Jos. 13, 2 sq.). Res majoris momenti ab Avvitis vitae quietae et tranquillae pastorum deditis[63]) post adventum Israelitarum non gestae sunt.

---

56) Dereser, Comment. in Num. 32, 12, aliique interpretes cognomen Calebi Qenisitae ab uno majorum derivant, cui cum gente Qenisitarum nullus fuerit usus. Nos in interpretatione nostra subsistimus donec qua de causa Caleb a viro omnino ignobili cognomen suum assumpserit clarius nobis demonstretur.

57) Midjanitae originem suam a Ketura, Abrahami concubina, ducentes (Gen. 25, 2 sqq.) pro Qadmonitis, ante tempora Abrahami ortis (Gen. 15, 19), haberi non possunt.

58) Bochartus, Phaleg IV, 36 cognomen Qadmonitarum temere tribuit Hevitis.

59) Strabo, Rerum geogr. XVI, 760; Ptolem. Geogr. IV, 5.

60) Fuerst, Lexikon s. v. *'Jvva.*

61) Josephus — Antiq. I, 6, 2 — et LXX (Gen. 10, 17) Avvitas cum Cananaeis commutant quamvis evidenter Jos. 13, 25 sqq. Philisthini et Avvitae Cananaeis opponantur.

62) Stark, l. c. p. 32 sqq.

63) Voce *chazer* (i. e. atrium, villa, vicus — Dt. 2, 23) Avvitas more nomadum vixisse indicatur. Contra Philisthinorum agriculturae studentium (Jud. 15, 5) proprium erat in oppidis habitare.

II. Gentes Chamiticae.

1. Cananaci. Sub judice adhuc lis est, quid vox *Kĕnaan* significet, neque satis liquet, num Cananaei a natura et proprietate terrae sanctae nomen assumserint an terra *Kĕnaan* denominata sit ab incolis suis. Plurimi interpretes approbantes explicationem S. Hieronymi et S. Augustini,[64]) qui *Kĕnaan* vocabulo „humilis“ verterunt, oram angustam atque depressam inter Libanum montem et mare mediterraneum, ubi primum Cananaei sedes posuerunt, nominis istius gentilis parentem appellant.[65]) E contrario alii viri doctissimi Cananaeos Palaestinae nomen suum dedisse affirmant, praesertim quum teste Scriptura saepissime gentes, urbes, terrae a singulis hominibus denominatae sint, quum praeterea Palaestina nonnunquam *'erez* vel *mĕqom Kĕnaani* i. e. terra Cananaeorum vocetur (Ex. 3, 8. 17), quo accedat, quod terra cisjordanica multo montuosior sit quam quae unquam „regio plana“ vel „demissa“ cognominari potuerit.[66]) Quibus argumentis fortasse addendum erat, magna Cananaeorum immigrantium agmina[67]) jam primis temporibus tractum aliquanto latiorem occupare debuisse quam angustam illam oram maritimam.

Quid vero, si antiquissima Cananaeorum ipsorumque nominis patria magno intervallo a Palaestina remota erat? Bis enim Ezechiel propheta (16, 29; 17, 4) Chaldaeam appellat *'erez Kĕnaan* certo non alia de causa nisi quod terram illam ripas inferiores Euphratis fluvii adjacentem pro regione habuit in qua Cananaei geniti fuerint. Ibidem sita erat *Hena* vel *Hana* (II. Reg. 18, 34; 19, 13; Jes. 37, 13),[68]) cujus provinciae nomen cum *Χνᾶ* (i. e. nomen Phoeniciae seu auctoris Phoenicum) sicut cum *Kĕna* i. e. forma abbreviata pro *Kĕnaan* optime concordat.[69]) Tum audienda et ponderanda sunt haec Herodoti verba de origine Phoenicum seu Cananaeorum: *τούτους* inquit *φασὶ ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης ἀπικομένους ἐπὶ τήνδε τὴν θάλασσαν καὶ οἰκήσαντας τοῦτον τὸν χῶρον τὸν καὶ νῦν οἰκέουσιν,*[70]) cujus rei memoria etiam a Strabone aliisque scriptoribus veteribus servatur.[71]) — Itaque vix in dubium vocari potest, quin Cananaei ex Asia interiore egressi nomen suum gentile jam aliquanto ante expugnationem regionum quarundam Palaestinensium gesserint.

Quam in partem Asiae si quis oculos converterit, jam non odio Israelitarum contra hostes suos factum esse opinabitur, ut in catalogo illo gentium (Gen. 10) Cananaei inter Chamitas numerentur. Eam enim ipsam regionem inde a primordiis Cuschitae aliaeque stirpes Chamiticae possidebant (Gen. l. c. v. 6 sqq.) meritoque Delitzsch[72]) litora maris quod dicebatur Erythraei seu sinus Persici[73]) nostra lingua vocat „einen hamitischen Völkerherd.“ Semiticam linguam Cananaei occidentem versus profecti aut in itinere a gentibus Arabicis aut in ipsa Palaestina ab autochthonibus Semiticis facile pro

---

64) Hieron. De nominibus hebr. s. v. Chanaan. — Augustin. Enarratio in Ps. 104, § 7: „Chanaan quippe interpretatur humilis.“

65) Bertheau, Zur israelitischen Geschichte p. 161; Ewald, l. c. p. 281 sq.

66) Scheiner, Kirchen-Lexikon II, p. 292 sq.

67) Cananaei, si non magnis cum copiis terram sacram petivissent, civitates firmas atque pollentes autochthonum Palaestinensium expugnare non potuissent, minimeque ex ora illa maritima ad colendas artes pacis (v. g. navigationem) provocante, exercitus exercitati evasissent.

68) Ptolem. Geogr. 5, 18.

69) Knobel, l. c. p. 312 sq. Fuerst, l. c. s. v. *Hena.*

70) Herod. I, 1; cf. VII, 89.

71) Strabo I, 47; Plin. IV, 36. Cf. Justini Trogi Hist. XVIII, 3: „terrae motu vexati, relicto patriae solo, Assyrium stagnum primo, mox mari proximum litus incoluerunt.“

72) Delitzsch, Comment. zur Genesis p. 246.

73) Herod. I, 180; Strabo II, 529.

sermone Chamitico adoptare poterant.[74]) — Juvat in favorem sententiae nostrae etymologiam vocis *Φοίνικες* advocare. Quod nomen Graecos Cananaeis orae Sidonicae propter multitudinem palmarum (*φοίνικες*) illic crescentium imposuisse priori quidem tempore multi scriptores autumarunt;[75]) nuper tamen fere ad unum omnes opinionem istam deposuerunt, imprimis quum neque Phoenicia palmis abundaverit neque Graeci prius Phoeniciam quam Phoenices, in Graeciam naves suas appellentes ante oculos habuerint.[76]) Significat autem *φοίνος* ruber, purpureus, fuscus, quo colore cutis suae populos Chamiticos notabiles atque conspicuos fuisse constat. Ideoque Graeci, qui ipsi albida cute praediti erant, voce illa usi nautis et mercatoribus Cananaeorum aptum cognomen dedisse eorumque originem Chamiticam promulgasse censendi sunt.[77])

Cananaeorum stirpes, quae ante saeculum a. Chr. n. vigesimum prope mare Galilaeum[78]) Palaestinam intrabant, erant hae: Sidonii, Arqitae, Sinitae, Arvaditae, Zemaritae, Hamathitae, — Chetitae, Jebusitae, Amoritae, Girgasitae, Chivvitae (Gen. 10, 5 sqq.). E quibus familiis sex priori loco nominatae brevi oram maritimam Libano proximam occupasse videntur, quum ceteri primo meridiem versus tum vero ab occidente orientem versus in pagos Palaestinenses sese effunderent.[79])

a) Sidonii, quorum nomen scriptores veteres haud raro ad totam Phoenicen Graecorum transferebant,[80]) gradatim maximam potentiam maximasque opes consecuti sunt. Rei publicae fines partem spectabilem Libani (Jos. 13, 6; Jud. 18, 7. 28) earumque regionum amplectebantur, quas Israelitae postea occupaturi erant (Jos. 19, 28 sqq.); unde factum est, ut Danitae, Asseritae aliae tribus Israeliticae, quippe quae divini mandati immemores (Ex. 23, 31 sqq.; 34, 13 sq.) priores territorii sui possessores expellere non satis conniterentur (Jud. 1, 31), in conditionem devenirent iniquissimam (Am. 1, 9; Joel 4, 6. 8). Fortissimo tandem principe Israelitico opus erat, cujus facinoribus molestus ille populus rejiceretur ac coërceretur.[81]) At tantum ad fastigium potentiae suae Sidonii non ascendissent si non

b) Arqitae, Sinitae, Arvaditae, Zemaritae, Hamathitae in propinquo sedes suas constituissent et facultates copiasque suas in usum „primogeniti Kenaan" (Gen. 10, 15) tradidissent. Arqitae urbem haud exiguam in radicibus montis Libani septentrionalis prope mare condiderunt,[82]) quae tempore Salomonis regis in ditione Israelitarum erat.[83]) Sinitarum et Zemaritarum domicilia non procul ab Arqitarum urbe sita[84]) magna amplitudine non floruisse videntur. Majorem virtutis et artis navalis opinionem passim habebant Arvaditae, Aradi insulae litori proximae habitatores.[85]) Qui non solum teste Ezechiele propheta apud Tyrios terra marique stipendia meruerunt (Ezech. 27,

---

74) Winer, Realwoerterbuch I, p. 209, Cananaeos propter linguam Hebraeo — Semiticam neglecto S. Scripturae testimonio (Gen. 10, 15 sqq.) non Chami sed Semi posteris ascribit.

75) Movers, Phoenicier II, p. 3 sqq.

76) Koenig, Kirchen-Lexikon VIII, p. 428.

77) Gfroerer, Urgeschichte des menschlichen Geschlechts, p. 132 sq.

78) Assyrium stagnum, a Justino — hist. 18, 3 — commemoratum, pro mari Galilaeo habemus, quia l. c. 36, 3 mare salsum sive lacus Asphaltites a stagno illo discernitur.

79) Gen. 10, 18 sq.: „et posthaec disseminati sunt populi Chananaeorum, factique sunt termini Chanaan venientibus a Sidone Gераram usque Gazam, donec ingrediaris Sodomam." Vulg.

80) Gesen. Thesaurus p. 1154. Cf. Hom. Il. VI, v. 290; XXIII, 743; Odyss. IV, 615 sqq. XV, 114 sqq.

81) Weiss, David und seine Zeit, p. 34 sq.

82) Hieron. Quaest. in Gen. 10, 17: „Aracaeus qui Arcas condidit, oppidum contra Tripolim in radicibus Libani." Cf. Ptolem. V, 15; Plin. V, 16.

83) Joseph. Antiq. VIII, 2, 3.

84) Hieron. l. c.: „A quo (oppido Arcas) haud procul alia civitas fuit nomine *Sini* quae postea vario eventu subversa bellorum nomen tantummodo loco pristinum reservavit." Cf. Shaw, Reisen p. 234.

85) Joseph. Antiq. I, 6, 2.

8. 11) sed etiam in oris et insulis remotis complures colonias collocarunt;[86]) qua de causa usque ad tempora Maccabaeorum in suo statu manentes ab ipsis Romanis digni habiti sunt, quibuscum foedus iceretur (I. Macc. 15, 23). Neque minor erat fama urbis ab Hamathitis aedificatae (Am. 6, 2), quae adhuc inter urbes orientales opulentia et multitudine civium eminet.[87]) Eousque fines suos propagare Israelitae non ea qua par erat contentione studuerant (Num. 34, 8; Jos. 13, 5), quam ob rem Hamathitae aeque ac principes Philisthinorum aliique Cananaei a Deo sapientissimo reservabantur ad populum Israeliticum magis magisque erudiendum, emendandum, puniendum (Jud. 3, 1 sqq.). Postquam autem Hadadesero rege Syriorum devicto Thoi rex Hamathitarum Davidi victori religioso gratoque animo dona pretiosissima impertiverat (II. Sam. 8, 9 sq.), Salomo magnam regni illius partem in suam potestatem redegit castellisque munivit (II. Chron. 8, 3 sqq.), ita ut revera exinde Israelitae terram a deserto *Sin* vel a fluvio Aegypti usque ad Hamath porrectam, ipsis a Deo promissam (Num. 13, 21; 34, 8; Jos. 13, 5; Ezech. 47, 16 sq.), possiderent.

c) Girgasitarum familia aut ceteris Cananaeorum familiis minor fuisse aut paullo post primum impetum in validos autochthones Palaestinenses factum admodum imminuta esse videtur; nam permultis locis Veteris Testamenti, quibus Cananaeorum mentio fit Girgasitae silentio praetermittuntur (Ex. 3, 8, 17; 13, 5; 23, 23; 33, 2; 34, 11; Num. 13, 29; Dt. 20, 17). Usque ad aeram christianam *Γέργεσα* urbs antiqua ultra mare Tiberiadis sita memoriam primi domicilii a Girgasitis in Palaestina conditi servavit.[88])

d) Chivvitae ex prioribus sedibus suis radices Baal: Hermonis montis circumdantibus (Jos. 11, 3; Jud. 3, 3; II. Sam. 24, 7) mox in mediam terram sanctam proruperunt. Sichemi enim, quae urbs Ebal et Garizim montes in pago Ephraimitico adjacebat, Hemor ejusque filius, principes Chivvitarum, cum Jacobo patriarcha de futura affinitate atque amicitia collocuti sunt (Jos. 34, 2 sqq.). Praeterea incolae civitatis illius foederatae, quae ex Gibeon, Beeroth, Caphira, Qirjath-Jearim urbibus constabat (Jos. 9, 17), Chivvitae fuisse dicuntur Jos. 11, 19; tantaque denique firmitate atque soliditate alia illorum oppida in mediis finibus Israeliticis sita excellebant, ut intacta usque ad Davidis et Salomonis tempora florescerent (II. Sam. 24, 7; I. Reg. 9, 20). Num autem Chivvitae recte „oppidani“ nominandi sint propterea quod ceteri Cananaei habitatores aut montanorum aut vallium aut locorum planorum fuerint,[89]) in dubio relinquendum est: etymologiam vocis *chava* ad probandam istam sententiam afferre certo non licet.[90]) — Ultra possessiones Chivvitarum meridiem versus progressi sunt

e) Jebusitae. Qui successore quodam Malkizedeqi regis (Gen. 14, 18 sqq.) superato in Sione,[91]) monte praerupto, arcem excelsam aedificarunt,[92]) cujus castelli firmitate elati perdiu omnes hostium suorum impetus deriserunt (II. Sam. 5, 6). Neque ut ex superiori parte urbis, pro „Salem“ continuo „Jebus“ appellatae, praesidium Jebusitarum expellerent, Israelitis primis temporibus contigit, etsi dudum in inferiori urbis parte cum hostibus suis permixti habitarent (Jos. 15, 63; Jud. 1, 21). Ne David quidem familiam Jebusiticam arce Sionis expugnata omnino dissipare potuit (II. Sam. 24,

---

[86]) Knobel, l. c. p. 330.

[87]) Robinson, l. c. III, p. 747. 931.

[88]) Orig. in Marc. 1, 5 sqq. apud Schegg, Evangelium nach Marcus, p. 311. — Cf. Euseb. Onomast.: „Girgasi, civitas trans Jordanem, juncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manasse.“

[89]) Ewald, l. c. p. 282 sqq.

[90]) Keil, Comment. in Gen. 10, 17 sqq.

[91]) Hieron., Ep. 83 ad Euangel. presb., Salem, regis Malkizedeqi sedem, prope Scythopolim quaesivit. Nihilominus nunc omnes fere interpretes traditionem Judaicam sequuntur, servatam a Fl. Josepho, Antiq. I, 10, 2: *τὴν μέντοι Σόλυμα ὕστερον ἐκάλεσαν Ἱεροσόλυμα.*

[92]) Jebusitae praeterea montana Hierosolymis finitima occuparunt. Cf. Num. 13, 29; Jos. 11, 3.

16 sqq.; I. Reg. 9, 20 sqq.; Esra 9, 1). Magni ergo stirpis istius fortitudo aestimanda est. — Qua virtute cum Jebusitis concertabant

f) Chittaei. A quibus jam tempore patriarcharum fere tota Palaestina meridionalis fortissimis autochthonibus fugatis obsessa erat. Dum Isaac Bersebae morabatur Judas duas Chittaeas in matrimonium duxit (Gen. 26, 34; 27, 46). Sepulcrum Abrahami de Chittaeis emptum prope Hebronem situm fuisse supra commemoravimus (cf. I, 1, d). Huc accedit quod tractus Bethelo vicinus „Chittaeorum terra" vocabatur (Jud. 1, 26). Quas ob causas nemini qui insuper secum perpendit, Chittaeos semper inter gentes Palaestinenses (Gen. 15, 20; Ex. 3, 8; 23, 23; Dt. 7, 1 etc.) saepeque primo loco Ex. 13, 5; Jos. 3, 10; Jud. 3, 5 etc.) enumerari,[93]) dubium esse potest, quin aliquo tempore familia illa in Palaestina inter omnes Cananaeos principatum tenuerit totique terrae nomen suum dederit (Jos. 1, 4). — Qua cum argumentationis nostrae conclusione optime convenit, quod „Cheta" gens Palaestinensis, monumentis Aegyptiacis testibus, multa et diuturna bella cum Pharaonibus gesserunt: Sethos I., Ramses II., alii reges Aegyptiorum celeberrimi copias suas ad *Cheta* dimicandos identidem in Palaestinam subduxerunt.[94]) Iis vero ipsis bellis fortasse factum est, ut magna Chittaeorum pars, quam continuae perturbationis taederet, ante saeculum quintum decimum in Cyprum insulam emigraret ibique novas et amplas conderet civitates. Nam Israelitis in patriam redeuntibus Chittaei insignibus cum viribus non occurrerunt, Cypri autem incolae, Gen. 10, 4 *Kittim* nominati,[95]) jam in Onomastico cum Chittaeis comparantur;[96]) neque in Palaestina sed in Cypro insula, „quondam novem regnorum sede",[97]) principes illi Chittaeorum imperasse videntur, qui usque ad tempora Salomonis et Elisei sui juris ac potestatis manserunt (I. Reg. 10, 29; II. Reg. 7, 6). Quicunque consanguineos suos in Cyprum secedentes non secuti erant aut religionem et familiaritatem Israelitarum susceperunt (v. g. Uria, cf. II. Sam. 11, 3 sqq.) aut libertate sua regnante Salomone omnino privati et ad opera serva praestanda coacti sunt (I. Reg. 5, 15; 9, 20).

Eodem fere tempore, quo multitudo Chittaeorum patriam suam dereliquit, Jordanem transierunt

g) Amoritae, quae familia Cananaeorum autochthonibus Rephaiticis ferocitate et magnitudine corporum simillima erat (Am. 2, 9). Nonnullae quidem turbae Amoriticae ceteros Cananaeos praegressae cisjordanicos Palaestinae meridionalis fines occupaverant, ex quibus erant Abrahami amici (Gen. 14, 13) et Jacobi hostes (l. c. 48, 22); plurimae vero familiae antiquitus summa ope nisae sunt, ut in terra transjordanica Rephaitas, Ammonitas, Moabitas profligarent et duas praepotentes civitates, Jabboqo fluvio sejunctas, quam optime constituerent (Num. 21, 13, 24, 26; 32, 33. 39; Dt. 4, 46 sq.; Jos. 9, 10; Jud. 11, 13 sqq.) Istinc igitur haud ita multo ante invasionem Israeliticam Amoritas in regnum Chittaeorum cisjordanicum irruisse verisimillimum est; nam tempore Mosis et Josuae iisdem regionibus, quibus antea Chittaei habitaverant, Amoritae frequentes fuisse dicuntur, ita ut v. g. montes inter lacum Asphaltiten et mare mediterraneum „montana Amoritica" (Dt. 1. 7. 19; 27, 44; cf. Jud. 1, 34 sqq.) et persaepe omnes incolae pristini Palaestinae „Amoritae" (Jos. 7, 7; 24, 15; Jud. 6, 10; I. Reg. 21, 26; II. Reg. 21. 11; II. Sam. 21, 2) appellarentur. — Attamen novum istud regnum amplissimum non eadem qua regnum Chittaeorum fruebatur firmitate. Pro natura et proprietate pagorum suorum variorum vitam suam victumque mutantes Amoritae adeo distrahebantur, ut perbrevi

---

[93]) Ex. 23, 28 tres, Ex. 13, 5 quinque, alibi plures familiae ex numero Cananaeorum nominantur; nusquam autem omittuntur Chittaei.

[94]) Duncker, Geschichte des Alterthums ed. IV. tom. I p. 256.

[95]) Hieron. Comment. in Isaiam XXIII: Cethim Cyprum quidam interpretantur, usque hodie enim est apud eos urbs Citium. Cf. Delitzsch, Genesis p. 244.

[96]) Onom. s. v. Chettiim.

[97]) Plin. V, 31; Diod. 16, 42.

in Palaestina passim parvae orirentur civitates: Jud. 12, 9 sqq. triginta reges Palaestinenses numerantur, quibuscum Josua dimicaverat. Non ergo mirandum est, quod tantam inter discordiam hostium suorum Israelitae terram sanctam, ab ingenti hominum numero obsessam (Dt. 7, 1), summa cum celeritate expugnarunt.

2. Philisthini seu Caphtorim. Orti ab Aegyptiis Chamiticis Philisthini diversas in partes olim e septentrionali patriae suae, regione, Caphtor cognominata, emigrarunt[98]). Alii per terram Casluchaeorum profecti aliquanto ante tempora patriarcharum oram maritimam Palaestinae insederunt, alii Creta insula aliquamdiu occupata eandem in oram se contulerunt saeculo a. Chr. n. duodecimo atque adeo gentilium suorum opes auxerunt, ut exinde usque ad exilium quod dicitur Babylonicum saepius rei publicae Israeliticae gravissimam securim infligere possent (Jud. 13, 1 sqq.; I. Sam. 4, 1 sqq.; 17, 1 sqq.; II. Sam. 5, 17 sqq. etc.) populoque a Deo selecto secundum vaticinium divinum revera fierent „clavi in oculis et lanceae in lateribus“ (Num. 33, 35; cf. Jos. 23, 13). Posterioribus autem temporibus Philisthini sicuti ceteri antiquissimi Palaestinae incolae jam nulla facinora memorabilia confecerunt.[99])

---

[98]) Ind. Lyc. Hos. 1875/76: De origine Philisthinorum, p. 3 sqq.
[99]) Reusch, Kirchen-Lexikon VIII, p. 399.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Hipler, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Theologiae pastoralis partem alteram docebit sexies per hebdomadem hora VII.
II. De hymnologia Christiana disseret diebus Lunae et Veneris hora VIII.
III. S. Thomae Aquinatis selecta capita interpretabitur horis definiendis.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

I. Historiam primaevae ecclesiae enarrabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Iovis hora IV.
II. Antiquitates ecclesiasticas tractabit diebus Veneris et Saturni hora IX.
III. De arte Christiana disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Henr. Oswald, P. P. O.

I. De creatione mundi, de angelis, de hominis statu originali deque protoparentum lapsu doctrinam exhibebit, quinquies vel sexies per hebd., hora X.
II. Grammaticam Hebraicam, exercitia adjungens interpretatoria, docere perget, ter per hebd. hora VII.
III. Scholas Gothicas continuabit, semel bisve per hebd. hora assign.

Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

I. Prophetarum minorum vaticinia interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
II. S. Pauli ad Galatas et Ephesios epistolas exponet ter per hebd. hora VIII.
III. Grammaticam aut Arabicam aut Syriacam docebit bis per hebd. horis definiendis.

Lic. Julius Marquardt, P. P. E.

I. Theologiae moralis partem specialem tradere perget quinquies per hebd. hora XI—XII.
II. Repetitiones et disputationes de gravioribus doctrinae ethicae capitibus instituet semel per hebd. hora XI—XII.
III. Historiam literaturae apologeticae ac polemicae ecclesiae primaevae continuabit semel bisve per hebd. hora def.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O., h. t. Decanus.

I. Physicam experimentalem docebit h. d.
II. Astronomiam popularem exponet h. d.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium tradet ter vel quater per hebd. hora VIII.
II. Germanorum antiquitates, imprimis res mythologicas enarrabit bis per hebd. hora VIII.
III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. hora VIII.
IV. Historiam poësis Christianae maxime apud Germanos exponet hora definienda.

Dr. Frid. Michelis, P. P. O.

Lectiones nullas habebit.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

I. De poesi tragica Graecorum disseret et Aeschyli Prometheum vinctum interpretabitur ter hebdomade hora IX.
II. Inscriptiones Christianas interpretari perget bis hebdomade hora IX.
III. Exercitationes latine scribendi ac disputandi moderabitur h. d.
IV. Res sacras Graecorum enarrare perget h. d.

Dr. Jos. Krause.

I. Psychologiam tradet ter per hebd. hora X.
II. Metaphysicam docebit ter per hebd. hora X.
III. Repetitorium logicum instituet semel per hebd. hora definienda.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei Regii, cui praeest **Prof. Dr. Weiss,** commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, custodit **Prof. Dr. Feldt.**

CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Nomina victorum et quaestiones in annum MDCCCLXXX—MDCCCLXXXI propositae suo tempore renunciabuntur.